Officia Propria

Dioecesis San Gallensis

17 S. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. III cl.
Commemoratio S. Hedwigis Vid.
22 In Dedicatione ecclesiæ propriæ I cl.

NOVEMBER

3 S. Idæ Virg. III cl.
5 Sacrarum Reliquiarum III cl.
16 S. Otmari Abbatis, Patroni æque principalis diœcesis I cl.
17 S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf. III cl.
Commemoratio S. Gertrudis Virg.
23 S. Columbani Abbatis III cl.
Commemoratio S. Felicitatis Mart.
26 S. Conradi Ep. et Conf. III cl.
Commemoratio S. Silvestri Abb.
Commemoratio S. Petri Alexandr. Ep. et Mart.
27 S. Clementis I. Papæ et Mart. III cl.

DECEMBER

5 S. Lucii Ep. et Mart. III cl.
Commemoratio S. Sabbæ Abb.

OFFICIA PROPRIA

ECCLESIÆ ET DIŒCESIS

SANGALLENSIS

PARS PRIOR

Die 5 decembris

S. LUCII

Episcopi et Martyris

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Sæculo florénte octávo, Curiénsis Ecclésia cultu litúrgico iam Lúcium prosequebátur, qui Rætórum apóstolus appellátus fuit ac póstea Curiénsis epíscopus et martyr étiam dictitátus est. Uti fertur, superstitiónis ténebras ad lucem fídei e Rætia fugándas, vir Dei Lúcius biduánis ac triduánis ieiúniis, sacris vigíliis ardentibúsque précibus supérna quæsívit præsídia. Méritis tandem plenus, ad súperos evolávit tértio nonas decémbres eiúsque corpus in arce Martíola honorífice sepúltum fuit, ibídem adhuc asservátur plúrimis nobilitátum miráculis. Uti patrónus principális venerátur in diœcési Curiénsi, ad cuius territórium usque ad sæculum décimum nonum étiam regiónes Saruneténsium et Castracénsium, in hodiérna diœcési Sancti Galli, pertinébant.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

Deus, qui beátum Lúcium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti: eius, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Iesu Christi, Fílii tui, fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Et fit commemoratio feriæ.

Deinde fit commemoratio S. Sabbæ Abb.:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Sabbæ Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dñm.

AD VESPERAS

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. ant. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Et fit commemoratio feriæ.

Die 21 ianuarii
S. MEINRADI
Martyris
Commemoratio

AD LAUDES

Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Meinrádi Mártyris tui natalícia cólimus, intercessióne eius in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum nostrum.

Die 30 ianuarii
S. EUSEBII
Confessoris
III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Eusébius, pátria Hibérnus, desidério motus Deo soli inserviéndi in solitúdine, sæculo nono in nostras regiónes venit et in montem Sancti Victóris, non longe a Rheno flúmine super vicum Rautínium, secéssit ibíque per trigínta círciter annos uti inclúsus vitam anachoréticam duxit, factus exémplar virtútum et abnegatiónis sui. In dicti montis erémo hospitíolum peregrinórum, speciátim Scotórum, fundávit et imperatórem Cárolum Crassum indúxit, ut Sancti Victóris montem cum áliis prædiis regálibus monastério Sancti Galli, tunc témporis summo flore niténti, tráderet. Anno Dómini octingentésimo octogésimo et quarto, prídie kaléndas februárias, ad lucem migrávit perénnem. Eius relíquiæ prope suam céllulam cónditæ, anno millésimo septingentésimo octogésimo sexto pópuli multitúdine concurrénte, in monastérium Sancti Galli sollemníssime translátæ sunt. Exínde flóruit cultus huius sancti viri, qui dein ut patrónus monastérii et póstea diœcésis Sancti Galli eléctus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio C 2

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Eusébii Confessóris tui sollemnitáte deférimus: ut, qui nostræ iustítiæ fidúciam non habémus, eius, qui tibi plácuit, précibus adiuvémur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Martinæ Virg. et Mart.:

Ant. Simile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Martínæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per eius ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Eusébii Confessóris tui sollemnitáte deférimus: ut, qui nostræ iustítiæ fidúciam non habémus, eius, qui tibi plácuit, précibus adiuvémur. Per Dóminum.

Die 2 maii
S. WIBORADÆ
Virginis et Martyris
III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Wiboráda, nóbili in Thurgóvia orta progénie, post sancte peráctam iuventútem Deo soli servíre stúduit. Hittónem fratrem a vita sæculári ad monásticam perdúxit, qui cœnobíta Sancti Galli factus est. Ad maiórem perfectiónem adhélans, consílio et auctoritáte Salomónis, epíscopi Constantiénsis et abbátis Sancti Galli, iuxta eccléSiam sancti Geórgii primum quátuor annos sanctíssime expéndit. Deínde anno nongentésimo sextodécimo apud templum beáti Magni in Iráno colle situm in angústam céllulam inclúsa de mundo triumphávit, visiónibus cæléstibus clara et prophetíæ spíritu illustráta. Porro cum Hungrénses feróces in Alemánniam irrupíssent et ómnia devastándo usque ad Sanctum Gallum pervenírent, Patres quidem a Wiboráda præmóniti in vicínum castéllum se recepérunt, ipsa vero céllulam suam ut deséreret addúci nequáquam pótuit. Hungrénses in cellam irruéntes, Wiborádam usque ad cilícium despoliavérunt et tribus in caput vulnéribus inflíctis eam humi in sánguine iacéntem semínecem reliquérunt. Ipsa vero sequénti statim mane sexto nonas maii, anno Dómini nongentésimo vigésimo sexto, martýrio coronáta, ánimam exhalávit. Craloh abbas eius relíquias póstea in templo beáti Magni tumulávit. Clemens Papa secúndus eídem beátæ vírgini Sanctórum honóres decrévit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

Ad Bened. ant. Beáta Virgo Wiboráda, * ut remóta sæculo libérius servíret Dómino, contígua inclúditur ædícula, allelúia.

Oratio

Sanctæ Wiborádæ Vírginis et Mártyris tuæ nos, Dómine, iúgiter prosequátur orátio: ut, quod petítio nostra non ímpetrat; ipsa pro nobis interveniénte præstétur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus.

AD VESPERAS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

Ad Magnif. ant. Beáta Martyr Wiboráda, * mundo mórtua et soli Deo vívida, cum palma victóriæ hódie cælos intrávit, allelúia.

Die 3 maii
S. ATHANASII
Ep., Conf. et Eccl. Doct.
III classis

Omnia ut in Breviario die 2 maii.

Et fit commemoratio Ss. Alexandri, Eventii et Theoduli Mm. ac S. Iuvenalis Ep. et Conf.:

AD LAUDES

Ant. Fíliæ Ierúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die sollemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúia. ℟. Mors Sanctórum eius, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui sanctórum tuórum Alexándri, Evéntii, Theoduli atque Iuvenális natalítia cólimus; a cunctis malis imminéntibus, eórum intercessiónibus, liberémur. Per Dóminum nostrum.

Die 7 maii

B. NOTKERI

Confessoris

Patroni secundarii Diœcesis

II classis

Omnia de Communi Conf. non Pont. (Temp. paschali) præter ea quæ hic habentur propria.

AD MATUTINUM

In I Nocturno lectiones Iustus si morte, de eodem Communi 2 loco cum ℟℟. ibi notatis.

In II Nocturno

Absol. Ipsíus pietas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Notkérus, in Ioannesvillare, pago comitátus Thurgóviæ, nobílibus paréntibus natus est. In schola monastérii Sancti Galli sub Isóne magístro suæ ætátis disertíssimo, in pietáte et lítteris admirábiles progréssus fecit. Iam in iuventúte non solum contémptu mundi, sed étiam magna caritáte erga infírmos excélluit. Mónachus et sacérdos factus humilitátem sic cóluit, ut non tantum reiéctis dignitátibus, pótius minóribus offíciis fungi malúerit quam præésse, sed étiam soléret infántem et bálbulum se nomináre.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúia. ℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Cum dæmónibus admirándos nonnúnquam conflíctus hábuit. Vitæ mundítiam non in iucunditáte mundána, sed pótius in excoléndo corde vidit. Litterárum sciéntiis incúmbens, plures libros conscrípsit, inter álios martyrológium multósque sacros hymnos. Sacra eius Iúbila sive Sequéntiæ, cum tam re quam forma conspícuæ essent, pro sollemnitáte quadragínta festórum anni in commúnem ecclesiárum usum recéptæ sunt. Ita beátus Notkérus, quem Ekkehárdus quartus vásculum Sancti Spíritus celebrábat, cultum divínum fere totíus Európæ adáuxit. Magíster celebérrimus discípulos suos mira caritáte et vitæ exémplo ad sacerdótium perdúxit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúia. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Gravi tandem fessus labóre cum in febrim incidísset, obdormívit in Dómino, anno nongentésimo duodécimo, die sexta aprílis. Corpus eius in capélla sancti Petri cónditum fuit. Ubi per sexcéntos quasi annos miráculis cum fulgéret, Iúlii secúndi Pontíficis Máximi auctoritáte, Hugo de Landenberg, Constantiénsis epíscopus, anno Dómini millésimo quingentésimo décimo quarto sub abbáte Francísco Gaisberg beátum eum declarávit. Reliquiæ eius prius e mánibus novatórum civitátis Sangallénsis eréptæ, dein in Erémum Beátæ Vírginis collocátæ, anno millésimo quingentésimo trigésimo séptimo in Sancti Galli monastérium revertérunt, ubi post quátuor annos nonis maii in própriam tumbam cónditæ sunt.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi iustum coram me ex ómnibus géntibus, allelúia. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno homilia in Evangelium Dixit Iesus discípulis suis: Nolíte timére, de Communi Conf. non Pont. 2 loco cum ℟℟. ibi notatis.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Bened. ant. Beátus Notkérus * castitátis sacræ et cordis mundítiæ amátor erat egrégius, ut Agni vestígia immaculátus sequi potuísset, allelúia.

Oratio

Omnípotens Deus, qui beátum Notkérum fámulum tuum diabólicas fraudes superáre fecísti: concéde plebi tuæ eius patrocínia flagitánti; ut diabólica machinaménta declinántes, cum triúmpho victóriæ perveniámus ad glóriam sempitérnam. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

Et fit commemoratio S. Stanislai Ep. et Mart.:

Ant. Fíliæ Ierúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die sollemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúia. ℟. Mors Sanctórum eius, allelúia.

Oratio

Deus, pro cuius honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit: præsta, quæsumus; ut omnes, qui eius implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Magnif. ant. Beátus Notkérus * castitátis sacræ et cordis mundítiæ amátor erat egrégius, ut Agni vestígia immaculátus sequi potuísset, allelúia.

Pro Pago
Abbatiscellæ interiore:

Die 14 maii

S. BONIFATII

Martyris

II classis

Festum votivum

Omnia de Communi unius Martyris temp. pasch., præter sequentia.

AD MATUTINUM

In I Nocturno lectiones Fratres: Debitóres, de Communi plur. Mart. extra temp. pasch. cum ℟℟. de temp. pasch.

In II Nocturno

Absol. Ipsíus piétas.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Bonifátius, civis románus, quod cum Aglaë nóbili matróna impudíce versátus esset, tanto illíus intemperántiæ dolóre captus est, ut pæniténtiæ

causa se ad conquirénda et sepeliénda Mártyrum córpora contúlerit. Itaque, relíctis peregrinatiónis sóciis, cum Tarsi multos propter christiánæ fidei professiónem váriis torménti cruciátos vidísset, illórum víncula osculátus, eos veheménter hortabátur, ut constánter supplícia perférrent, quod brevem labórem sempitérna réquies consecutúra sit.

℟. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exsultatiónem obtinébunt. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Comprehénsus ígitur, férreis úngulis excarnificátus est; cui étiam inter mánuum ungues et carnem acúti cálami sunt infíxi, plumbúmque liquefáctum in os eius infúsum. Quibus in cruciátibus ea vox tantum Bonifátii audiebátur: Grátias tibi ago, Dómine Iesu Christe, Fili Dei. Mox in ollam ferventis picis demísso cápite coniéctus est; unde cum inviolátus exísset, ira incénsus iudex eum secúri percuti iubet. Quo témpore magnus terræmótus factus est, ita ut multi infidéles ad Christi fidem converteréntur.

℟. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Iudicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Sequénti die Bonifátium quæréntes sócii, cum martýrio affectum eum cognovíssent, quingéntis sólidis eius corpus redemérunt, et condítum unguéntis linteísque involútum Romam portándum curárunt. Quod factum cum ab Angelo Aglaë matróna, quæ et ipsa pæniténs se piis opéribus addíxerat, cognovísset, pródiens sancto córpori, ecclésiam eius nómini ædificávit; in qua corpus sepúltum est nonis iúnii, cum eius ánima prídie idus maii apud Tarsum Cilíciæ urbem migrásset in cælum, Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus.

17 S. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. III cl.
Commemoratio S. Hedwigis Vid.
22 In Dedicatione ecclesiæ propriæ I cl.

NOVEMBER

3 S. Idæ Virg. III cl.
5 Sacrarum Reliquiarum III cl.
16 S. Otmari Abbatis, Patroni æque principalis diœcesis I cl.
17 S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf. III cl.
Commemoratio S. Gertrudis Virg.
23 S. Columbani Abbatis III cl.
Commemoratio S. Felicitatis Mart.
26 S. Conradi Ep. et Conf. III cl.
Commemoratio S. Silvestri Abb.
Commemoratio S. Petri Alexandr. Ep. et Mart.
27 S. Clementis I. Papæ et Mart. III cl.

DECEMBER

5 S. Lucii Ep. et Mart. III cl.
Commemoratio S. Sabbæ Abb.

OFFICIA PROPRIA

ECCLESIÆ ET DIŒCESIS

SANGALLENSIS

PARS ALTERA

Die 4 iulii

S. UDALRICI

Episcopi et Confessoris

III classis

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Udalrícus e nóbili Kyburgénsi família aduléscens in schola Sancti Galli erudítus, huic monastério peregrinatióne frequénti filiálem pietátem servávit. Anno nongentésimo vigésimo tértio ecclésiæ Augustánæ epíscopus præfícitur. Quo in offício gregi suo vivum se præbuit exémplar pietátis et sui abnegatiónis. Vitam et mores cleri ac pópuli assíduis visitatiónibus emendáre conténdit et lites inter príncipes compósuit. Nam témpore, quo Hungrénses feróces regiónem devastábant, consílio et forti ánimo Udalrícus gregem et civitátem Augustánam deféndit et hoste devícto pátriæ pacem restítuit. Anno quinquagésimo episcopális sui regíminis beáto fine quiévit, miraculórum grátia in vita et post mortem clarus. Epíscopus vere magnus a Ioánne Papa décimo quinto in Lateranénsi Sýnodo anno nongentésimo nonagésimo tértio Sanctórum catálogo sollémniter inscríptus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio C 4

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis sollemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, eius intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Die 17 augusti

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ CATHEDRALIS

I classis

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ, præter sequentia.

AD MATUTINUM

In II Nocturno

Absol. Ipsíus piétas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Sanctus Gallus, postquam anno sexcentésimo décimo secúndo inter Steinaham et Iram rivos sedit atque ex córylo crucem fecit, cui capséllam cum relíquiis sanctórum Maurítii et Desidérii Mártyrum suspénderat, hunc locum oratióne ac triduáno ieiúnio consecrávit. Quibus ita gestis, Gallus oratórium lígneum cum altáribus et officína frátribus apta, secúndum régulam sancti Columbáni exstrúxit vitámque monásticam cum Ioánne et Maginaldo aliísque discípulis incépit. Gallo mórtuo, post multa lustra sanctus Otmárus lapídeam basílicam cum tribus absídibus ædificávit, quarum média cryptam cum sepúlcro sancti Galli supertéxit.

℟. Orántibus in loco isto, * dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israel, inténde, qui de-

dúcis velut ovem Ioseph, qui sedes super Chérubim. Dimítte.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Anno octingentésimo trigésimo Gozbértus abbas amplíssimam illam basílicam erígere cœpit, quam post áliquod tempus episcopórum, abbátum principúmque frequénti concúrsu Deo ætérno sollémniter dedicándam fecit. Ecclésiam, tribus cursu médii ævi incéndiis devastátam, magnis súmptibus abbátes dénuo restaurárunt, donec Cælestínus Gugger de Staudach, princeps Sancti Galli, depósitis vetéribus pártibus, anno millésimo septingentésimo quinquagésimo quinto novum templum cum duábus túrribus reædificári curávit, et Beda, eius successor, magnificentíssime exornávit.

℟. O quam metuéndus est locus iste: * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. Vere.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Lamentábile excídium monastérii consecratiónem ecclésiæ, quæ anno millésimo octingentésimo vigésimo tértio per Bullam Apostólicam in ecclésiam cathedrálem evécta est, in dies dilatávit. Quam dénique Cárolus Ioánnes epíscopus ad sacrórum cánonum præscripta die décimo séptimo mensis augústi, sábbato post festum Assumptiónis Beátæ Maríæ Vírginis, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo felíciter exégit, assisténtibus ómnibus totíus Helvétiæ epíscopis, qui una cum ingénti pópuli concúrsu, domínica subsequénti festum Dedicatiónis insígni Missæ maióris et processiónis sollemnitáte celebrárunt.

℟. Mane surgens Iacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino: * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Iacob de somno, ait. Vere. Glória Patri. Vere.

Die 27 augusti
S. GEBHARDI
Episcopi et Confessoris
III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Gebhárdus, e cómitum Brigantinórum família ortus, sancto Conrádo epíscopo Constantiénsi tráditur instituéndus, cui post Gaminólphum, plaudénte clero et pópulo, in dignitáte episcopáli succéssit. Múnere suo egrégie fungéndo, fidem et disciplínam ecclesiásticam acérrime deféndit, et satis amplum patrimónium paupéribus distríbuit. Cum séxdecim annos commíssam sibi eccléstam sanctíssime administrásset, cumulátus méritis quiévit in Dómino, sexto kaléndas septémbris anno a Vírginis partu nongentésimo nonagésimo quinto.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio C 4

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Gebhárdi Confessóris tui atque Pontíficis sollemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, eius intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Iosephi Calasanctii Confessoris:

Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui per Sanctum Ioséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intellegéntiæ ac pietátis iuventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es: præsta, quæsumus, nos, eius exémplo et intercessióne, ita fácere et docére, ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dñm.

AD VESPERAS

℣. Iustum, ut supra 8*.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Die 2 septembris
B. APOLLINARIS A POSAT
Martyris
III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Apollináris, in Posat prope Fribúrgum in Helvétia natus, inter Capuccínos recéptus, religiósi hóminis exémplar præbuit. Decúrsu studiórum áliquod témporis in convéntu Mélsii, nunc in território diœcésis Sancti Galli, degit. Cúriæ Rætórum sacérdos factus, públici gymnásii Stántii præpósitus fuit. Apostólico motus zelo, cum a superióribus exorásset, ut ad asiáticas Missiónes mitterétur, Lutétiam Parisiórum se cóntulit ad linguas illárum géntium addiscéndas. Sed violénta perturbatióne in Gállia exársa, religiósis sodalíciis vi exstínctis, Apollináris ad Carmelitárum ecclésiam addúctus, die secúndo septémbris anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi crudéliter mactátus est. Quem Pius undécimus beátis Martýribus adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

Ecclésiam tuam, quæsumus, Dómine, fac nos semper filiáli pietáte dilígere: cuius in iúribus propugnándis beátus Apollináris, spíritu fortitúdinis roborátus, ad mortem usque certávit. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio S. Stephani Regis, Confessoris:

Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum, ut supra 8*.

Oratio

Concéde, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus: ut beátum Stéphanum, Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére meréatur gloriósum in cælis. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. ant. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Oratio

Ecclésiam tuam, quǽsumus, Dómine, fac nos semper filiáli pietáte dilígere: cuius in iúribus propugnándis beátus Apollináris, spíritu fortitúdinis roborátus, ad mortem usque certávit. Per Dóminum nostrum.

Die 6 septembris

S. MAGNI

Abbatis

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Magnus, mónachus apud Sanctum Gallum témpore beáti Otmári abbátis, duce Tozzo presbýtero, qui póstea Augustánæ ecclésiæ epíscopus eléctus est, ad Alpes Iúlias conténdit, ut gentes in Algóvia habitántes fide divína et móribus christiánis imbúeret. Theodórum sócium Campidúni relínquens, ipse apud Lycum flúvium cellam exstrúxit sicque inítia pósuit illíus monastérii, quod Fuessen nuncupátur, ubi apóstolus Suéviæ circa annum septingentésimum septuagésimum diem obívit suprémum. Cuius cultus apud nostrátes exeúnte sæculo nono, postquam ei Sálomon abbas ecclésiam condíderat, non longe a sancti Galli monastério in colle Iráno sitam et sacris relíquiis ornátam, florére cœpit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidé-

lis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio C 4

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Magni Abbátis commendet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Iustum, ut supra 10*.

Ad Magnif. ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Die 22 septembris
SS. MAURITII
ET SOCIORUM
Martyrum
III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Cum Maximiánus imperátor, ducto in Gálliam exércitu, in fínibus Sedunórum sacrifícii causa constitísset, Thebæórum légio, ne se impiórum sacrórum societáte contamináret, a réliquis cópiis discéssit. Quare imperátor misit ad eos míli-tes, qui suo nómine nuntiárent, ut, si salvi esse vellent, in castra ad sacrifícia redírent: qui se christiána religióne impedíri respondérunt. Quorum respónsum ille indígne ferens, maióri iracúndia exársit. Itaque décimum quemque eórum primum occídi iussit, quod martýrium sua sponte, maximéque hortatóre Maurítio, ferre maluérunt quam imperáta fácere nefárii imperatóris. Deínde réliquos omnes, constantíssime Christum confiténtes, décimo kaléndas octóbris trucidári ímperat. — Sancti Maurítii cultus speciális in território Sangallénsi increvit ob memóriam sancti Galli, qui in suo itínere quasdam dicti sancti viri relíquias secum ferébat et honorífice venerátus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

Annue, quǽsumus, omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum eius nos lætíficet festíva sollémnitas; ut, quorum suffrágiis nítimur, eórum natalíciis gloriémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf.:

Ant. Eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia Sanctórum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Thomam Pontíficem insígnis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti: quǽsumus; ut, eius intercessióne, in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Eodem die 22 septembris

Pro Pago Abbatiscellæ interiore:

SS. MAURITII ET SOCIORUM

Martyrum Patronorum principalium

I classis

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter ea, quæ hic habentur propria.

AD I VESPERAS

Ant. 1 Gloriósis * laudum præcóniis festa Mártyrum Thebæórum hæc attóllat Ecclésia, qui pro amóre Christi Dómini coronáti martýrio, illi perpétuo coniúncti congáudent in cælo.

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur ps. 116 Laudáte Dóminum.

2 Pretiósa est * plane mors Christi Dómini téstium, qui victríci martýrii láurea triumphántes, felíciter de perénni Sanctórum in cælis lætántur consórtio.

3 Fulget * athléta Dei Maurítius, quasi cæléste

sidus in mundo, et de sui glória martýrii et de præmio suórum commilitónum incitaménti.

4 O Mauríti, * dux Legiónis fortíssime, atténde tuórum vota famulórum: ut, qui triúmphis collætántur certáminum, annuénte Christi grátia cuius virtúte viríliter decertásti, supernórum sociéntur catérvis.

5 O quam gloriósus es, * egrégie Martyr Mauríti, qui pro Christi nómine felíciter passus es! Corúscas in cæléstibus: ora pro nobis Deum.

Capit. Apoc. 7, 14-15

Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo eius.

Hymnus

Alma Christi quando fides
mundo passim tráditur,
et per latos orbis fines
igne flagrans flóruit,
tunc elégit sibi gratum
mílitem Maurítium:

Qui lorícam fide textam
forti gestans péctore,
qua beáta Thebæórum
induébat ágmina,
ad cælórum ut consórtes
incitáret præmia.

Martyr sacer quos vocávit
ínclitus Maurítius,
omnes simul quasi unus
vir, ductu mirábili,
ad corónam promerén-
dam
properábant cælitus.

Tunc armáti spiritáli
ense, Christi mílites,
submitténtes velut agnus
pia colla iúgulo,
triumphábant trucidáti,
spreto mundi príncipe.

Contemnéntes blandiménta
tyrannórum nóxia,
floccipéndunt mundi pœnas
sub moménto víncere,
ut diténtur sempitérno
sine fine múnere.

Diem festum revolútum
anni monstrat órbita,
quo beátam Thebæórum
legiónem cólimus,
ægris salus quo præstátur,
cæcis visus fúnditur.

Nunc quaprópter supplicántes
illi preces fúndimus:

ut dignétur nobis Christum
fácere propítium,
quem amávit, cum quo regnat
nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Tamquam aurum in fornáce probávit illos Dóminus. ℟. Et quasi holocáusti hóstiam accépit eos.

Ad Magnif. ant. Triúmphant * sancti Mártyres Christi, qui sub Maximiáno mortem decrevérunt suscípere, et cum sancto Maurítio regna cæléstia accepérunt.

Oratio

Annue, quæsumus, omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum eius nos lætíficet festíva sollémnitas; ut, quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Veníte, adorémus Regem regum, * Qui beátis Martýribus corónam dedit glóriæ.

Hymnus

Mártyrum Rector, diadéma, splendor,
palma Sanctórum rútilans tuórum,
vócibus nostris miserátus adsis,
Christe Redémptor.

Nóbilem gaudens hódie piórum
Mártyrum cœtus récitet triúmphum,
quo poli plenæ Legiónis ordo
regna petívit.

Hi Dei summi fámuli fidéles,
mílitum sola spécie teméntes,
arma gestábant foris, at sub imo
péctore Christum.

Lénitas simplex! Numerositáte,
víribus freti, sed et apparátu
béllico, sævis póterant minístris
esse rebélles.

Eligunt mortem patiénter omnes,
mente devóti péreunt inúlti:
créditur teli, clýpei vel ensis
dégener usus.

Cóncidunt ergo pia membra passim;
iam frequens densis ager est acérvis:
áppetunt cuncti feriéntis ictum
súmere primi.

Déitas simplex, Trinitásque perpes
in unitáte, cui gloriósus
Mártyrum cœtus canit in supérnis
cárminis odas,

Ut tibi Regi páriter canéntes,
cum tuis sanctis mereámur aulam
íngredi cæli simul et beátam
dúcere vitam. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Adest namque * beáti Maurítii et commilitónum sacratíssima dies, in qua triumphántes agónem explevérunt et corónam victóriæ accípere meruérunt de manu Dómini.

2 Si qui veri Dei cultum * profitéri audébant, statim ad supplícia sæva et ad necem rapiebántur.

3 Hi viri sancti, * in rebus béllicis strénui, virtúte nóbiles, sed fide nobilióres permansérunt.

℣. Tamquam aurum in fornáce probávit illos Dóminus. ℟. Et quasi holocáusti hóstiam accépit eos.

Absol. Exáudi.

Bened. Benedictióne.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli

Lectio i Cap. 2, 19-24

Hæc est grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias, pátiens iniúste. Quæ enim est glória, si peccántes et colaphizáti suffértis? Sed si bene faciéntes patiénter sustinétis, hæc est grátia apud Deum. In hoc enim vocáti estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia eius. Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore eius: qui cum maledicerétur, non maledicébat; cum paterétur, non comminabátur; tradébat autem iudicánti se iniúste: qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui, iustítiæ vivámus: cuius livóre sanáti estis.

℟. Cognóscens Thebæa Légio crudélis edíctum

tyránni, Octodúrum tránsiens * Pro fide servánda ad locum cui Agáunum nomen est, cursu céleri læta properávit. ℣. Ut octo míllium spátio necessitátem committénditi sacrilégii præteríret. Pro.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 3, 13-18

Et quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? Sed et si quid patímini propter iustítiam, beáti. Timórem autem eórum ne timuéritis, et non conturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad satisfactiónem omni poscénti vos ratiónem de ea, quæ in vobis est, spe; sed cum modéstia et timóre consciéntiam habéntes bonam, ut in eo quod détrahunt vobis, confundántur, qui calumniántur vestram bonam in Christo conversatiónem. Mélius est enim benefaciéntes (si volúntas Dei velit) pati, quam malefaciéntes. Quia et Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, iustus pro iniústis, ut nos offérret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu.

℟. Erat in eádem Legióne primicérius Maurítius et sígnifer Exsupérius et Cándidus senátor, * Qui ita céteris præerant ut amóre pótius quam terróre obœdiénda præcíperent. ℣. Et devótas Deo ánimas fidéli mortis professióne curábant. Qui.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 4, 12-16

Caríssimi, nolíte peregrinári in fervóre, qui ad tentatiónem vobis fit, quasi novi áliquid vobis contíngat: sed communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ eius gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ et virtútis Dei, et qui est eius Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut Christiánus, non erubéscat: glorificet autem Deum in isto nómine.

℟. Inclitus Maurítius, dux Legiónis sacratíssimæ, Maximiáno dixit: In nos decérne quidquid potúeris excogitáre pro tuo império: ignes, torménta, gládium, vel si quid dúrius statúeris, * Omnia pro Deo subíre paráti sumus, quóniam ab illo vitæ ætérnæ gáudia peroptámus. ℣. Inexpugnábiles, Cæsar, Legiónis nostræ ánimos agnósce. Omnia. Glória Patri. Omnia.

In II Nocturno

Ant. 4 Christum Deum * numquam derelinquémus, pro quo arma tenéntes non resístimus.

5 Nólumus pios et concíves laniáre, * quia magis mori quam occídere paráti sumus.

6 Omnes unánimes * unum ætérnitátis Deum se cólere proféssi sunt: et ídeo iuguláti corónam regni percepérunt.

℣. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt. ℟. Et nómina eórum vivent in generatiónem et generatiónem.

Absol. Ipsíus.

Bened. Deus Pater.

Ex libro sancti Euchérii Epíscopi de Passióne Agaunénsium Mártyrum

Lectio iv

Sub Maximiáno, qui Románæ rei públicæ cum Diocletiáno colléga impérium ténuit, per divérsas fere províncias laniáti aut interfécti sunt mártyrum pópuli: idem namque Maximiánus impietátem suam ad exstinguéndum Christianitátis nomen armáverat. Erat eódem témpore in exércitu légio mílitum, qui Thebæi appellabántur. Hi in auxílium Maximiáno ab Oriéntis pártibus accíti vénerant, viri in rebus béllicis strénui et virtúte nóbiles, sed nobilióres fide; erga imperatórem fortitúdine, erga Christum devotióne certábant. Evangélici præcépti étiam sub armis non immémores reddébant quæ Dei erant Deo et quæ Cæsaris Cæsari restituébant. Itaque cum ad pertrahéndam Christianórum multitúdinem destinaréntur, soli crudelitátis ministérium detrectáre ausi sunt atque huiúsmodi præcéptis se obtemperatúros negant. Maximiánus, qui se circa Octodúrum ití-

nere fessus tenébat, ubi cum sibi per núntios delátum esset Legiónem hanc in Agaunénsibus angústiis substitísse, in furórem instínctu indignatiónis exársit. Cógnito ígitur Thebæórum respónso, Maximiánus, præcípiti ira férvidus, décimum quemque gládio feríri iubet, quo facílius céteri, régiis præcéptis térriti, metu céderent; redintegratísque mandátis edícit, ut réliqui in persecutiónem Christianórum cogántur.

℟. Beátus Maurítius hac oratióne Legiónem sanctam confortábat: Tenére vos sæculárium quidem bellórum signa vídeo, sed áliud vobis genus diligéndum est prœliórum: * Non enim per hos gládios potéstis ad regna cæléstia properáre. ℣. Fidem quam Deo promisístis in últimis custodíte. Non.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Ubi ad Thebæos denuntiátio iteráta pérvenit, vociferátio in castris exóritur affirmántium numquam se ulli in hæc tam sacrílega ministéria cessúros, idolórum se profána semper detestátos, Christiánis se imbútos sacris et divínæ religiónis cultu institútos, extréma experíri sátius esse quam advérsum Christiánam fidem veníre. His compértis, Maximiánus ímperat, ut íterum décimus morti detur, céteri nihilóminus ad hæc, quæ spérnerent, compellerántur. Quibus iussis dénuo in castra perlátis, segregátus atque percússus est, qui décimus sorte obvénerat; réliqua vero se mílitum multitúdo mútuo sermóne instigábat, ut in tam præcláro ópere persísteret. Incitaméntum tamen máximum fídei penes sanctum Maurítium fuit primicérium Legiónis, qui, cum Exsupério campidoctóre et Cándido senatóre mílitum, accendébat exhortándo síngulos et monéndo. Fidélium commilitónum et iam mártyrum exémpla íngerens, pro sacraménto Christi, pro divínis légibus, si ita necéssitas ferret, ómnibus et moriéndum suadébat sequendósque admonébat sócios illos et contubernáles suos, qui iam in cælum præcésserant.

℟. Tradúntur neci quos ordo réperit numerándi, * Sólaque inter eos erat de gloriósæ mortis acceleratióne conténtio. ℣. Eligúntur sínguli donec simul colligántur elécti. Sólaque.

Bened. Ignem.

Lectio vi

His ítaque primóribus suis atque auctóribus animáti Maximiáno mandáta mittunt, sicut pia, ita et fórtia, in hunc modum: Mílites sumus, imperátor, tui, sed tamen servi, quod líbere confitémur, Dei; tibi milítiam debémus, illi innocéntiam. Offérimus nostras in quémlibet hostem manus, quas sánguine innocéntium cruentáre nefas dúcimus. Iurávimus primum in sacraménta divína, iurávimus deínde in sacraménta régia; nihil nobis de secúndis credas necésse est, si prima perrúmpimus. Christiános ad pœnam per nos requíri iubes; iam tibi ex hoc álii requiréndi non sunt: Christiános nos fatémur, pérsequi Christiános non póssumus. Maximiánus, obstinátos in fide Christi cernens ánimos virórum, desperánsque gloriósam eórum constántiam posse revocári, una senténtia intérfici omnes decrévit et rem cónfici circumfúsis mílitum agmínibus iubet. Qui cum missi ad beatíssimam Legiónem veníssent, stringunt in sanctos ímpium ferrum mori non recusántes vitæ amóre. Cædebántur ítaque passim gládiis, non reclamántes saltem aut repugnántes, sed depósitis armis cervíces persecutóribus præbéntes et iúgulum percussóribus vel intéctum corpus offeréntes. Non vel ipsa suórum multitúdine, non armórum munitióne eláti sunt, ut ferro conaréntur assérere iustítiæ causam: sed hoc solum reminiscéntes se illum confitéri, qui nec reclamándo ad occisiónem ductus est et tamquam agnus non apéruit os suum, ipsi quoque tamquam grex Domínicus óvium laniári se tamquam ab irruéntibus lupis passi sunt. Sic interfécta est illa plane angélica Légio.

℟. Laniántur ítaque beáta Thebæórum córpora, ferróque Dei pópulus confóditur: * In hac beatíssima congregatióne nemo périit, dum nullus evásit. ℣. Sic enim, Dómine, mílites prótegis tuos, ut nec defúerit in passióne patiéntia nec in confessióne constántia. In hac beatíssima congregatióne nemo périit, dum nullus evásit. Glória Patri. In.

In III Nocturno

Ant. 7 Hac ígitur crudelitáte * conféctus est ille Sanctórum pópulus, qui contémpsit rem præséntium ob spem futurórum.

Ant. 8 Quanta excoléndus est reveréntia * ille Agaunénsium locus, quem sui sánguinis effusióne reveréndum tot pro Christo mártyres reliquérunt.

Ant. 9 Hæc sacra Légio * cum sanctis Angelórum legiónibus iam colláudat in cælis Dóminum Deum Sábaoth.

℣. Iustórum ánimæ in manu Dei sunt. ℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

In III Nocturno homilia in Evang. Cum audiéritis, de eodem Communi 1 loco.

AD LAUDES
et per Horas

Ant. 1 Sanctus Maurítius * Legiónem sanctam præmónuit, ut ad cæléstia regna properárent: beátus Exsupérius miles, Cándidus et Victor, et beátus Innocéntius, iunctis méritis se sociavérunt.

Psalmi de dominica.

2 Sancta Légio * Agaunénsium Mártyrum, dum resísterent adversáriis, sacro duce Maurítio interveniénte, immortalitátis compéndium acquisiérunt.

3 Pretiósa sunt * Thebæórum Mártyrum vúlnera, sancti Maurítii et Sociórum eius, qui sub Maximiáno mortem decrevérunt suscípere.

4 Sacer Mártyrum sanguis * locum unda perfúdit et pretiosórum córporum socíetas consecrávit.

5 Ecce factus est * sacer ille Agaunénsium locus per suffrágia Sanctórum salus præséntium, præsídium futurórum.

Capit. Apoc. 7, 14-15

Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas,

et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo eius.

Hymnus

O locum cultu potióre dignum,
córporum qui tot méruit sacrórum
sánguinem fundens, flúvios meréntis
ferre cruóris.

Non caret multo Rhódanus decóre,
púrpuram vincens rútilo rubóre,
sánguine tinctus pretiosióre
flúminis unda.

Mauríti princeps, Legióque tota
digna pro Christo posúísse vitam,
críminum nobis véniam poténti
posce rogátu.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo.
Amen.

℣. Stant ante thronum in conspéctu Agni. ℟. Et palmæ in mánibus eórum.

Ad Bened. ant. Flagrábat * in beatíssimis viris martýrii gloriósus ardor: qui trucidánti ferro colla submitténtes a Maximiáno perémpti sunt; quos multitúdo Angelórum cum gáudio suscepérunt.

Oratio

Annue, quæsumus, omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum eius nos lætíficet festíva sollémnitas; ut, quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum nostrum.

Et in Quatuor Temporibus, fit commemoratio feriæ, ut in Breviario.

AD TERTIAM

Capit. Apoc. 7, 14-15

Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo eius.

℟. br. Tamquam aurum in fornáce * Probávit illos Dóminus. Tamquam. ℣. Et quasi holocáusti hóstiam accépit eos. Probávit. Glória Patri. Tamquam.

℣. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt. ℟. Et nómina eórum vivent in generatiónem et generatiónem.

Oratio

Annue, quæsumus, omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum eius nos lætíficet festíva sollémnitas; ut, quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum nostrum.

AD SEXTAM

Ant. Pretiósa sunt * Thebæórum Mártyrum vúlnera, sancti Maurítii et Sociórum eius, qui sub Maximiáno mortem decrevérunt suscípere.

Capit. Apoc. 11, 11-12

Et stetérunt super pedes suos, et timor magnus cécidit super eos qui vidérunt eos. Et audiérunt vocem magnam de cælo dicéntem eis: Ascéndite huc. Et ascendérunt in cælum in nube et vidérunt illos inimíci eórum.

℟. br. Córpora Sanctórum * In pace sepúlta sunt. Córpora. ℣. Et nómina eórum vivent in generatiónem et generatiónem. In. Glória Patri. Córpora.

℣. Iustórum ánimæ in manu Dei sunt. ℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

AD NONAM

Ant. Ecce factus est * sacer ille Agaunénsium locus per suffrágia Sanctórum, salus præséntium, præsídium futurórum.

Capit. Apoc. 12, 11-12

Vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui, et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: proptérea lætámini, cæli, et qui habitátis in eis.

℟. br. Iustórum ánimæ * In manu Dei sunt. Iustórum. ℣. Et non tanget illos torméntum malítiæ. In. Glória Patri. Iustórum.

℣. Stant ante thronum in conspéctu Agni. ℟. Et palmæ in mánibus eórum.

AD II VESPERAS

Ant. 1 Sanctus Maurítius * Legiónem sanctam præmónuit, ut ad cæléstia regna properárent: beátus Exsupérius miles,

Cándidus et Victor, et beátus Innocéntius, iunctis méritis se sociavérunt.

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur Ps. 115.

2 Sancta Légio * Agaunénsium Mártyrum, dum resísterent adversáriis, sacro duce Maurítio interveniénte, immortalitátis compéndium acquisiérunt.

3 Pretiósa sunt * Thebæórum Mártyrum vúlnera, sancti Maurítii et Sociórum eius, qui sub Maximiáno mortem decrevérunt suscípere.

4 Sacer Mártyrum sanguis * locum unda perfúdit et pretiosórum córporum socíetas consecrávit.

5 Ecce factus est * sacer ille Agaunénsium locus per suffrágia Sanctórum salus præséntium, præsídium futurórum.

Capit. Apoc. 7, 14-15

Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo eius.

Hymnus

O Agaunensis seges alma campi,
quam secat diri gládius tyránni,
úberi sed quam cúmulo recóndunt
hórrea cæli!

Ipse torréntes Rhódanus cruéntos
álveo iungi stupet, ac rubéscens
púrpuras regum pretiósus alto
déspicit amne.

Una si tantum Súperis refúndit
gáudium laurus, subeúnte tanta
messe palmárum coit in triúmphos
cúria cæli.

Mauríti princeps, Sociíque cuncti,
alba gens Agnum cómitans ubíque,
nostra fac Agni cruor innocéntis
crímina mundet.

Fac, ut inférni láqueis recísis
nos greges inter númeret suórum,
quem Deum sanctum Séraphim perénni
voce salútant.

Laus Deo, virtus, honor et potéstas,
quem poli summo sólio sedéntem
Mártyrum cœtus pósitis adórat
rite corónis. Amen.

℣. Stant ante thronum in conspéctu Agni. ℟. Et palmæ in mánibus eórum.

Ad Magnif. ant. Rutilióres auro, * astris splendidióres, o sanctíssimi Mártyres, beáti Mauríti, Exsúperi, Cándide, Victor, Innocénti et Vitális, et omnes sacræ Legiónis consórtes, prope sitis nobis, ad devastándum illos qui nos impugnáre moliúntur, et in hora treménda mortis nostræ, et iudícii die.

Oratio

Annue, quæsumus, omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum eius nos lætíficet festíva sollémnitas; ut, quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus.

Completorium de dominica.

Die 25 septembris

SANCTI
NICOLAI DE FLÜE

Eremitæ et Confessoris
Patroni principalis
Helvetiæ

I classis

AD I VESPERAS

Ant. 1 Cantábo Dómino, * qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit me per grátiam suam.

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur ps. 116 Laudáte Dóminum.

2 Cum adhuc iúnior essem, * quæsívi sapiéntiam in oratióne mea; et lætátum est cor meum in ea.

3 Sitívit * in te, Dómine, ánima mea: ut vidérem in terra desérta glóriam tuam.

4 Sub umbra illíus, * quem desideráveram, sedi: et fructus eius dulcis gútturi meo.

5 Erit opus * iustítiæ pax, et sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis.

Capit. Rom. 14, 17-18

Fratres: Non est regnum Dei esca et potus, sed iustítia et pax et gáudium

in Spíritu Sancto: qui enim in hoc servit Christo, placet Deo et probátus est homínibus.

Hymnus

Nitóre candens Alpium,
te, Nicoláe, dícimus,
cui vita solus éxstitit
Iesus in aris ábditus.

Amóre dio pércitus,
sæcli dolósis gáudiis
spretis, erémo cónderis
Deóque inhæres únice.

Qui te stupénde nútriit
altáris uno pábulo,
nobis id ipsum cælicum
det Manna concupíscere;

Sanctis ut usque móribus
Christi nitéscant ásseclæ,
insons iuvénta flóreat,
castúmque sit connúbium.

Sit Trinitáti glória,
quæ per lavácrum mýsticum
nos tersit atque pálmites
Christo feráces ínserit.
Amen.

℣. Sápiens in pópulo hereditábit honórem. ℟. Et nomen illíus erit vivens in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Os prudéntis * quæritur in cœtu populórum, et verba illíus cogitábunt in córdibus suis.

Oratio

Beáti Nicolái Confessóris tui, intercessióne suffúlti, te, Dómine, supplíciter exorámus: ut gentem nostram benígna semper protectióne custódias, eiúsque rectóribus grátiæ tuæ lumen cleménter infúndas. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Vértices cantus íterant nivósi,
ádsonant valles nemorúmque saltus,
gens tibi plaudit pia, Nicoláe,
Helvetiórum.

Te patrem grate pátriæ salútat,
quem fides Christi pietásque mira
éxtulit terris meritísque onústum
vexit ad astra.

Miles in bello pius atque fortis,
iuris assértor rígidus, renátis

fonte baptísmi documénta præbes
fúlgida vitæ.

Assidet virtus thálamo iugáli,
quem verecúndus pudor apparávit,
quemque natórum récreat coróna
móribus insons.

Falce dum fenum metis aut ligóne
arva proscíndis, súperos amóres
in Deum raptus speculánte mente
cómbibis ardens.

Præstet hoc nobis Pater ac Redémptor
et Paraclétus prece Nicolái,
quos pares una Deitáte pronus
orbis adóret.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Dóminus * formávit me ex útero servum sibi: et Deus meus factus est fortitúdo mea.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Conf. non Pont.

2 Quæsívi * sapiéntiam a iuventúte mea, et amátor factus sum formæ illíus.

3 Optávi, * et datus est mihi sensus: vocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ.

℣. Sápiens in pópulo hereditábit honórem. ℟. Et nomen illíus erit vivens in ætérnum.

Absol. Exáudi, Dómine.

Bened. Benedictióne perpétua.

De libro Sapientiæ

Lectio i Cap. 8, 5-7

Si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur, quis horum quæ sunt magis quam illa est ártifex? Et si iustítiam quis díligit, labóres huius magnas habent virtútes; sobrietátem enim et prudéntiam docet, et iustítiam et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus.

℟. Cum adhuc iúnior essem, quæsívi sapiéntiam in oratióne mea; efflóruit tamquam præcox uva, * Et lætátum est cor meum in ea. ℣. Ambulávit pes meus iter rectum: a iuventúte mea investigábam eam. Et.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 8, 9-14

Propósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum, sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres iúvenis et acútus invéniar in iudício, et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me. Tacéntem me sustinébunt et loquéntem me respícient et, sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo per hanc immortalitátem et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos, et natiónes mihi erunt súbditæ.

℟. Propter sapiéntiam hábui claritátem ad turbas, * Et in conspéctu poténtium admirábilis fui. ℣. Hanc amávi et exquisívi a iuventúte mea, et amátor factus sum formæ illíus. Et.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 8, 15-17

Timébunt me audiéntes reges horréndi; in multitúdine vidébor bonus et in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiéscam cum illa; non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus, sed lætítiam et gáudium. Hæc cógitans apud me et commémorans in corde meo, quóniam immortálitas est in cognatióne sapiéntiæ.

℟. Vir sápiens implébitur benedictiónibus, * Et viléntes illum laudábunt. ℣. Collaudábunt multi sapiéntiam eius, et usque in sæculum non delébitur. Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. 1 Dedúxit me Dóminus * in via mirábili: et fuit mihi in velaménto diéi et in luce stellárum per noctem.

2 Pósuit * desértum meum quasi delícias, et in solitúdinem meam quasi hortum Dómini.

3 Lætábitur * desérta et ínvia, et exsultábit solitúdo, et florébit quasi lílium.

℣. Iustus in Dómino hereditábit terram. ℟. Et delectábitur in multitúdine pacis.

Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Nicoláus de Flüe in Saxulénsi Subsilvániæ pago, Constantiénsis tunc témporis diœcésis honéstis paréntibus procreátus, singulári prorsus innocéntia pueríles annos exégit. Aduléscens tria sibi per hebdómadam ieiúnia ad sanctórum Nicolái Myrénsis et Tolentinátis imitatiónem indíxit. Divínis étiam contemplatiónibus die noctúque sic erat inténtus, ut solitáriam vitam summe desideráret, sed suórum votis tandem cedens, matrimónium íniit, quo fílios quinque totidémque fílias procreávit. Militiam quoque cum sequerétur, sanctæ Catharínæ monastérium in pago Thurgoviénsi ab imminénti incéndio, uti fertur, suo válido intervéntu mire servávit incólume. In pátriam deínde revérsus, suprémum ibídem magistrátum sæpius oblátum constánter recusávit, et præcípue, dum luce instrúctus supérna, sulphúreas flammas in corrúpto iúdicum ore conspíceret.

℟. Ecce elongávi fúgiens et mansi in solitúdine: * Quóniam vidi iniquitátem et contradictiónem in civitáte. ℣. Pósuit desértum meum quasi delícias, et solitúdinem meam quasi hortum Dómini. Quóniam.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Cum ínterim Deus non desíneret illíus pectus altióris vitæ desidériis succéndere, relíctis ómnibus in vicínam erémum secéssit: ubi vigínti prope annos inusitáta vitæ austeritáte tradúxit: priscórum anachoretárum mirácula et virtútes ita rénovans, ut eius fama permóti longe latéque pópuli ad eum conflúxerint. Eísdem annis sine corporáli cibo potúque vitam egit, solo sanctíssimo Christi Córpore refóctus; cuius miráculi veritátem Constantiénsis Proepíscopus certo comprobávit. Assíduo virtútum stúdio et perpétua Domínicæ Passiónis meditatióne dæmonum quidem furórem in se concitávit vehementíssimum, sed neque defuérunt ei cæléstes visiónes, quas inter illústrior illa fuit, quando

sanctíssima Trínitas in rotæ fulgéntis spécie sese ei obiécit, et tantam divinórum radiórum arcanæque sapiéntiæ cópiam in eum profúdit, ut in vultu ipsíus insólitus splendor ad mortem usque viderétur. Accedéntes ad se, populáres máxime suos, multis salutáribus mónitis erudívit, potíssimum eos exhórtans ad Sedis apostólicæ et cleri obsérvántiam ac præcípue ad dignos fructus feréndos pæniténtiæ, quam ipse vultu et córpore prorsus emaciáto, rudi quoque túnica, nudis semper pédibus et cápite, efficacíssime prædicábat. Prophetíæ dono emínuit: futúra et occúltas hóminum cogitatiónes non raro perspéxit.

℟. Os prudéntis quæritur in cœtu populórum: * Et verba illíus cogitábunt in córdibus suis. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Sarnam, præcípuum Silvæ Superióris pagum, gravi incéndio crucis signo íllico exémit. Illud quoque memorándum est, quod post insígnem victóriam ab octo Helvétiæ pagis de potentíssimo Burgúndiæ duce partam, cum inter ipsos fœderátos haud levis exórta esset dissénsio, quæ nonnísi ferro iam viderétur decernénda, beatíssimus senex eos fórtiter simul ac suáviter cohortátus, ad concórdiam brevi perdúxit: dignus plane qui idcírco auctor pacis et pátriæ pater a pósteris merúerit nominári. Demum anno octogésimo séptimo supra millésimum quadringentésimum, gravíssimo morbo cruciátus, in ássere, quo toto erémi témpore pro léctulo usus fúerat, procúmbens, placidíssime óbiit die vigésima prima mártii. Sacrum eius corpus, in Saxulénsi paróchia cónditum et miráculis nobilitátum, magno Helvetiórum et exterórum accúrsu cólitur; quod étiam cum sanctus Cárolus Borromæus invíseret, Nicoláum exímium sanctum pronuntiáre non dubitávit. Cultum vero Beatórum a fidélibus pópulis ei

semper præstitum Clemens Papa nonus ratum hábuit et confirmávit; Pius duodécimus dénique beátum Nicoláum in Sanctórum número rétulit.

℟. Nominátum est nomen glóriæ eius usque ad extrémum terræ; fecit pacem super terram, * Et lætátus est pópulus eius lætítia magna. ℣. Exaltávit illum Dóminus apud próximos suos. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. 1 Qui operátur iustítiam * et lóquitur veritátem, requiéscet in monte sancto tuo, Dómine.

2 Desidérium * ánimæ eius tribuísti ei, Dómine: quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis.

3 Non recédet * memória eius, et nomen eius requirétur a generatióne in generatiónem.

℣. Sciéntia sapiéntis tamquam inundátio abundávi. ℟. Et consílium eius sicut fons vitæ.

Absol. A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Ioánnis Chrysóstomi

Hom. 64 in Matth., n. 1-2

Diligénter expénde quam exquisíte duo illa, quæ Christus a dívite pétiit, ut scílicet paupéribus substántiam distribúeret suam et sequerétur Christum, Petrus bréviter compléxus est, dicens: Relíquimus ómnia, et secúti sumus te. Ambo enim hæc facta iam erant, nam sua reliquérunt, ut ipsum sequeréntur; et eo quod ómnia reliquérunt, sequi facílius potuérunt. Et quóniam reliquérunt, confídere atque gaudére ipsos admonébat.

℟. Fortitúdo mea et refúgium meum es tu: * Et propter nomen tuum dedúces me et enútries me. ℣. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómi-

ne, quam perfecísti eis, qui sperant in te. Et.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Quid ígitur Christus respóndet? Amen dico vobis, quia vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim. An ígitur et Iudas sedébit? Mínime. Quómodo ígitur in duódecim sédibus sedébunt? Quómodo pollicitátio hæc adimplébitur? Atténde quómodo. Non dixit solúmmodo, Sedébitis et vos; sed adiécit: Qui me secúti estis; ut et Iudam eíciat, et posterióres áttrahat.

℟. Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ: * Sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israel. ℣. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Sedébitis. Glória Patri. Sedébitis.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Cum autem dicit: Quicúmque relíquerit uxórem, non simplíciter præcipit diriménda esse matrimónia. Sed, sicut in superióribus dicébat: Qui perdit ánimam suam propter me, invéniet ipsam, non ut nosmetípsos interimámus, neque ut ánimam nostram a córpore disiungámus; sed ut religiónis pietátem céteris ómnibus anteferámus, ita de uxóre quoque ac frátribus intellegéndum est. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas

Ant. 1 Cantábo Dómino, * qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit me per grátiam suam.

Psalmi de dominica.

2 Cum adhuc iúnior essem, * quæsívi sapiéntiam in oratióne mea; et lætátum est cor meum in ea.

3 Sitívit * in te, Dómine, ánima mea: ut vidérem in terra desérta glóriam tuam.

4 Sub umbra illíus, * quem desideráveram, sedi: et fructus eius dulcis gútturi meo.

5 Erit opus * iustítiæ pax, et sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis.

Capit. Rom. 14, 17-18

Fratres: Non est regnum Dei esca et potus, sed iustítia et pax et gáudium in Spíritu Sancto: qui enim in hoc servit Christo, placet Deo et probátus est homínibus.

Hymnus

Vir, pater felix, stímulis supérnis
actus, uxórem puerósque linquis,
tendis et montis tácito recéssu
cóndere vitam.

Córporis quavis dape denegáta,
rebus ætérnis inhiáre gaudes,
esca fit vitæ tibi Christus unus
ábditus aris.

Sic pias mundi scelerósa facta,
pátriæ tutum cólumen futúrus,
cæde quam fœda próhibes, sequéster
pacis amícæ.

Sede nunc cæli rútila receptus
ut fidem Petri tueámur, ora;
dévios fratres révoca, labántes
róbore firma.

Géntibus pacis bona comprecáre,
more fac casto thálamus nitéscat,
et latens nobis étiam sit aris
vívere Christus.

Præstet hoc nobis Pater ac Redémptor
et Paraclétus prece Nicolái,
quos pares una Deitáte pronus,
orbis adóret. Amen.

℣. Longe divulgátum est nomen tuum. ℟. Et diléctus es in pace tua.

Ad Bened. ant. Illumináit me Dóminus * óriens ex alto: ad dirigéndos pedes meos in viam pacis.

Oratio

Beáti Nicolái, Confessóris tui, intercessióne suffúlti, te, Dómine, supplíciter exorámus: ut gentem nostram benígna semper protectióne custódias, eiúsque rectóribus grátiæ tuæ lumen cleménter infúndas. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Cantábo Dómino, * qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit me per grátiam suam.

AD TERTIAM

Ant. Cum adhuc iúnior essem, * quæsívi sapiéntiam in oratióne mea; et lætátum est cor meum in ea.

Capit. Rom. 14, 17-18

Fratres: Non est regnum Dei esca et potus, sed iustítia et pax et gáudium in Spíritu Sancto: qui enim in hoc servit Christo, placet Deo et probátus est homínibus.

℟. br. Sápiens in pópulo * Hereditábit honórem. Sápiens. ℣. Et nomen illíus erit vivens in ætérnum. Hereditábit. Glória Patri. Sápiens.

℣. Iustus in Dómino hereditábit terram. ℟. Et delectábitur in multitúdine pacis.

AD SEXTAM

Capit. Rom. 14, 19

Itaque quæ pacis sunt sectémur, et quæ ædificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus.

℟. br. Iustus in Dómino * Hereditábit terram. Iustus. ℣. Et delectábitur in multitúdine pacis. Hereditábit. Glória Patri. Iustus.

℣. Sciéntia sapiéntis tamquam inundátio abundávit. ℟. Et consílium eius sicut fons vitæ.

AD NONAM

Capit. Rom. 15, 5-6

Deus autem patiéntiæ et solácii det vobis idípsum sápere in altérutrum secúndum Iesum Christum, ut unánimes uno ore honorificétis Deum et Patrem Dómini nostri Iesu Christi.

℟. br. Sciéntia sapiéntis * Tamquam inundátio abundávit. Sciéntia. ℣. Et consílium eius sicut fons vitæ. Tamquam. Glória Patri. Sciéntia.

℣. Longe divulgátum est nomen tuum. ℟. Et diléctus es in pace tua.

Oratio

Beáti Nicolái, Confessóris tui, intercessióne suffúlti, te, Dómine, supplíciter exorámus: ut gentem nostram benígna semper protectióne custódias, eiúsque rectóribus grátiæ tuæ lumen cleménter infúndas. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

AD II VESPERAS

Omnia ut in I Vesperis 24*, exceptis sequentibus:

℣. Longe divulgátum est nomen tuum. ℟. Et diléctus es in pace tua.

Ad Magnif. ant. Cibávit illum Dóminus * pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum; et exaltávit illum apud próximos suos in ætérnum, allelúia.

Completorium de dominica.

Die 16 octobris
S. GALLI
Abbatis
Civitatis et Diœcesis Patroni principalis
I classis

Omnia ut in Communi Conf. non Pont., præter sequentia.

AD I VESPERAS

Ant. 1 Exívit de terra * et de cognatióne sua, et venit in terram, quam ei Deus monstrávit.

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur psalmus 116 Laudáte Dóminum.

2 Diréctus divínitus * in pæniténtiam gentis, tulit abominatiónem impietátis, et idóla destrúxit.

3 De terra desérta, * ínvia, et stérili vocátus in cælum virtútem Dei videt, et glóriam.

4 Memória eius * in benedictiónibus dulcédinis, allelúia.

5 Suscépit eum * Dóminus, et collocávit eum cum princípibus pópuli sui.

Capit. Eccli. 45, 1-2

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum.

Hymnus

Iam fidélis turba fratrum
voce dulci cónsonet,
hymnum dicat, et seréna
partiátur drámata,
dulci Patri, et beáto
Gallo festa fáctitans.

Iamque cælum, iamque terra,
iamque pontus láudibus
plaudat atque circumquáque
vox emíssa plébibus
auctóri, Patríque tanti
tamque clari lúminis.

Hinc exsúltent astra cæli,
lacteúsque círculus;
signa tum bisséna saltent
et coróna nóbilis,
ornatúsque totus, soli
conditóri cógnitus.

Nos istíus semper clara
consecúti múnia,
sanctitáti tantæ cantu
personémus músico;
exaudíre quod deléctet
cuncti plasten sæculi.

Nunc Redémptor et Creátor,
auctor veri gáudii
largiátur illam nobis
Galli sui grátiam,
ut secúti tantum Patrem
captémus perénnia.

Glória et honor Deo
usquequáque altíssimo,
una Patri, Filióque,
ínclito Paráclito,
cui laus est, et potéstas
per ætérna sæcula.
Amen.

℣. Diléctus Deo et homínibus. ℟. Cuius memória in benedictióne est.

Ad Magnif. ant. Venerábilis Gallus * diáconum, qui omnes erémi sémitas notas habébat, aggréssus, quæsívit ab eo, an umquam invenísset in solitúdine locum humánis habitatiónibus opportúnum: desidério, ínquiens, ánimi ferventis exæstuo, cúpiens in solitúdine dies dúcere huic vitæ concéssos.

Oratio

Deus, qui gentes nostras per beátum Gallum Abbátem ad agnitiónem veræ fídei perduxísti: concéde nobis in eiúsdem fídei professióne inviolábilem firmitátem; ut cum ipso prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Vox clara laudis ínsonet
noctis quiéto témpore,
Galli Patris encómiis
sollemniísque dédita.

Procul ténebræ críminum
a mente desunt íntegra,
virtútis ipsa lux micat,
Gallus fidem dum prædicat.

Fugántur umbræ nóctium,
calígo cedit méntium,
cedit potéstas dæmonum,
tollúntur aræ géntium.

Et iam colúntur Angelis
desérta culta lámiis,
et cella Galli párvula
vicína cælo iúngitur.

Densis rosæ de vépribus
in tota erémo pródeunt:
desérta in hortos flóridos
cultóre Gallo tránseunt.

Precámur ergo Cælites,
nostras vias ut múniant,
quo post eum secúrius
vitæ terámus sémitas.

Præsta Pater per Fílium,
præsta per almum Spíritum
his cum per ævum tríplici
unus Deus cognómine.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Datúrus fructum suum in témpore suo, Gallus puer in monastério tamquam lignum secus decúrsus aquárum plantátus est.

2 Misit ad humórem radíces suas, et disciplínam apprehéndit.

3 Non timens míllia pópuli circumdántis se, ad converténdas gentes procéssit.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Absol. Exáudi, Dómine.

Bened. Benedictióne perpétua.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 44, 1-5

Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prædíti, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 44, 6-9

Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes, pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum: et sunt quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint: et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Iustus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 44, 10-15

Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum. Et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Iste cognóvit iustítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. 1 Sacérdos Dei unctus, iustítiæ sacrifícium sacrificávit.

2 Annuntiávit inter gentes glóriam Dómini, in pópulis mirabília eius.

3 Sion audívit et lætáta est, confúsi sunt, qui adorábant sculptília, et qui gloriabántur in simulácris suis.

℣. Os iusti meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua eius loquétur iudícium.

Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Gallus abbas, piis nobilibúsque in Hibérnia paréntibus exórtus, adulescéntulus in monastério Bangor vestígiis sanctórum Comgálli abbátis et Columbáni magístri inhærens, non morum tantum, sed et ingénii laude ac sanctárum scripturárum sciéntia ádeo flóruit, ut sacerdotális dignitátis matúrus apparéret. Una cum úndecim sóciis beátum Columbánum secútus, in Británniam índeque Gálliam traiécit ibíque Luxoviénsem solitúdinem exémplis illustrávit monásticæ vitæ. Cum autem Columbánus abbas regis Theuderíci concubinátum redargúere non desísteret, Gallus eum Luxóvio expúlsum obœdiénter sectátus, in Alemánniam, Theudebérti regis potestáti subiéctam, venit ibíque Tuccóniæ ad lacum Turicínum, deínde vero Brigántii ad lacum Potámicum consédit.

℟. Paréntes beáti Galli fílium suum primæ ætátis flore niténtem, cum oblatióne Dómino offeréntes: * In monastério commendavérunt. ℣. Erant enim religiósi atque nóbiles, unde et fílium suum. In.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Quóniam autem beátus Gallus idololatríæ scelus ubíque convellébat et fana dissipábat, gentílium ac apostatárum ódia concitávit. Columbánus illis cedéndum ratus et anno sexcentésimo duodécimo Itáliam profóctus, discípulum fébribus deténtum, invítus tamen, sed divína providéntia coáctus, solum in Alemánnia relíquit. Gallus vero a Willimáro presbýtero Arbonénsi benígne recéptus mox conváluit et Hiltibódo diácono duce erémum ingréssit, ubi apud rupem fluvíoli Steinaha nominati ad terram córruit dicens: Hæc réquies mea in sæculum sæculi, hic habitábo, quóniam elégi eam. Locum cruce divína et Sanctórum relíquiis servítio Dei consecrávit, ursum eiús-

dem crucis signo in fugam convértit et cellam cum sacéllo cóndidit, ubi áliquos fratres monásticis ímbuit disciplínis et gentes circumpósitas Iesu Christi fidem caritatémque sectári dócuit, ita ut Alemánniæ apóstolus merúerit appellári. Cum Fridibúrgam, Gunzónis fíliam ducis, a dæmónio liberásset, opulentíssima ducis dona in páuperes erogávit. Honóres despíciens et corpus cruénter castígans, episcopátum Constantiénsem et abbatíam Luxoviénsem suscípere humíliter recusávit.

℟. Beátus Gallus zelo pietátis armátus fana dæmoniórum igni succéndit: * Et quæ obláta invénit, demérsit in lacum. ℣. In conspéctu ómnium arrípiens simulácra, lapídibus ea in frusta confrégit. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Dénique cum pópulos multos ab idolórum cultu avocásset ac die festo sancti Michaélis Archángeli apud Arbónam post Missárum sollémnia Evangélium prædicásset, febri violénti corréptus, ad cellam redíre non pótuit. Hac infirmitáte per dies quatuórdecim labórans, die sexto décimo mensis octóbris circa médium sæculum séptimum inter discipulórum manus exspirávit, explétis nonagínta quinque annis suæ ætátis. Sed cum illic nullo modo potuísset humári, iussu Ioánnis epíscopi Constantiénsis, sui olim discípuli, in sacrum erémum perlátus et in oratório suo sepúltus est, ubi pia Patris Pátriæ floret adhuc hódie venerátio.

℟. Athléta Dei Gallus tríduo ieiunávit, ut locum, quem spirituáli milítiæ providébat, * Parsimóniæ ínitiis consecráret. ℣. In oratióne quoque pernoctábat, ut quod divíno inchoábat amóre. Parsimóniæ. Glória Patri. Parsimóniæ.

In III Nocturno

Ant. 1 Ad níhilum dedúctus est in conspéctu eius malígnus; ipse vero requiéscit in monte sancto Dei.

2 Pósita est in cápite eius coróna de lápide pretióso,

quóniam Deus eum in benedictiónibus dulcédinis prævénit.

3 Innocens ipse mánibus et mundo corde ascéndit in montem Dómini, et stat in loco sancto eius.

℣. Lex Dei eius in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus eius.

Absol. A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce, nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

De Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Decl. de Evang. huius verbis

Amen, dico vobis, Verbum confirmatiónis præmíttitur: magnum nóveris esse quod séquitur. In regeneratióne sedébitis et vos; consequémini, ait, quem sequímini, ut, cum ipse séderit, et vos páriter sedeátis. O séssio! quis mihi tríbuat, ut dignis éxprimam verbis, quod de sessióne hac cordis affectióne concípio? immo quis tríbuat mihi sessiónis huius imperturbáta frui réquie, quam desídero, quam cúpio, quam requíro?

℟. Beátus Gallus cum orándi grátia inter condénsa véprium frutéta ambuláret, córruens in terram, ait: *Hæc réquies mea in sæculum sæculi. ℣. Hoc videns diáconus, accúrrit, ut subleváret prostrátum; vir autem Dei præscius futurórum: Sine me, ait. Hæc.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Ecce enim dixi: nihil in me sedet, cuncta in motu sunt, ómnia nutant, flúctuant univérsa. Postrémo ubi concupíscit adhuc caro advérsus spíritum, spíritus advérsus carnem, quidnam hóminis sedére vidétur? In sédibus quies imperturbáta est, in iudício dignitátis eminéntia commendátur. Quis vero sæculáris honor excogitári potest, qui non prorsus in tantæ sublimitátis comparatióne viléscat? Non uníus síquidem civitátis, aut pópuli, seu regiónis uníus,

sed universitátis iúdices habent præsidére cum Christo. Nec solum hómines, sed et ipsos Angelos iudicábunt, qui paréntem ad módicum fervórem præséntis glóriæ dedignántes et exsufflántes, impropérium Christi univérsis præferunt títulis dignitátum.

℟. Pater sanctus, cum infirmitáte gravi per dies quatuórdecim laborásset, in senectúte bona huius vitæ liberátus ergástulo: * Animam méritis plenam felícibus, bonis réddidit inhæsúram perénnibus. ℣. Explétis nonagínta quinque annis sanctíssimæ suæ ætátis. Animam. Glória Patri. Animam.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Illud ego veheméntius árbitror admirándum, quod fidéles magis in máximo, quam in módico videámini: non enim difficile est ei, dare céntuplum in præsénti, qui datúrus est vitam ætérnam in futúro. Sed quómodo, inquis, possunt hæc fieri? qua ratióne éxcipit céntuplum, qui nihil sibi relínquit ex ómnibus? Mira nóvitas, sed eius, qui nova facit ómnia. Iugum tollens, ínvenit réquiem; relínquens ómnia, céntuplum habet. Nóverat hoc et ille, qui loquebátur in Psalmo: Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, qui fingis labórem in præcépto? An non fictus in præcépto labor onus leve, suáve iugum, crux inúncta? Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas

Ant. 1 Exívit de terra * et de cognatióne sua, et venit in terram, quam ei Deus monstrávit.

Psalmi de dominica.

2 Diréctus divínitus * in pæniténtiam gentis, tulit abominatiónem impietátis, et idóla destrúxit.

3 De terra desérta, * ínvia, et stérili vocátus in cælum virtútem Dei videt, et glóriam.

4 Memória eius * in benedictiónibus dulcédinis, allelúia.

5 Suscépit eum * Dóminus, et collocávit eum cum princípibus pópuli sui.

Capit. Eccli. 45, 1-2

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum.

Hymnus

Iam luce summa cónsonent
sacri triúmphi drámata:
nil vile, nihil sórdidum
admíttit hæc sollémnitas.

Hic Gallus alta cælicæ
perfectiónis cúlmina
prendens, gerébat Angeli
vitam mortáli córpore.

Episcopátus ínfulas
abbatiæque férulas,
supérba mundi sólia,
terréna cuncta réspuit.

Cellæ quies, mundi fuga,
iunctæ preces ieiúnio,
carnísque castigátio
ei volúptas única.

Has Gallus ipse plántulas
virtútis arvo cóndidit,
virtútis et cultóribus
pie fovéndas trádidit.

Hinc dæmones mortálibus
pellit locis, et béstias,
idóla sternit, et Dei
infert ubíque glóriam.

Laus Trinitáti símplici,
laus Unitáti tríplici,
Patri, Patrísque Fílio
Spiraminíque cómpari.
Amen.

℣. Diléctus Deo et homínibus. ℟. Cuius memória in benedictióne est.

Ad Bened. ant. Superpósito * equis indómitis féretro, et frenis de capítibus eórum ablátis, recto itínere pervenérunt ad cellam viri Dei.

Oratio

Deus, qui gentes nostras per beátum Gallum Abbátem ad agnitiónem veræ fídei perduxísti: concéde nobis in eiúsdem fídei professióne inviolábilem firmitátem; ut cum ipso præmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Exívit de terra * et de cognatióne sua, et venit in terram, quam ei Deus monstrávit.

AD TERTIAM

Ant. Diréctus divínitus * in pæniténtiam gentis, tulit abominatiónem impietátis, et idóla destrúxit.

Capit. Eccli. 45, 1-2

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum.

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et. Glória Patri. Amávit.

℣. Os iusti meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua eius loquétur iudícium.

AD SEXTAM

Ant. De terra desérta, * ínvia, et stérili vocátus in cælum virtútem Dei videt, et glóriam.

Capit. Eccli. 45, 2-3

Magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et iussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam.

℟. br. Os iusti * Meditábitur sapiéntiam. Os. ℣. Et lingua eius loquétur iudícium. Meditábitur. Glória Patri. Os.

℣. Lex Dei eius in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus eius.

AD NONAM

Ant. Suscépit eum * Dóminus, et collocávit eum cum princípibus pópuli sui.

Capit. Eccli. 45, 4-5

In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ, et disciplínæ.

℟. br. Lex Dei eius * In corde ipsíus. Lex. ℣. Et non supplantabúntur gressus eius. In. Glória Patri. Lex.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD II VESPERAS

Ant. 1 Exívit de terra * et de cognatióne sua, et venit in terram, quam ei Deus monstrávit.

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur psalmus 116

Laudáte Dóminum.

2 Diréctus divínitus * in pæniténtiam gentis, tulit abominatiónem impietátis, et idóla destrúxit.

3 De terra desérta, * ínvia, et stérili vocátus in cælum virtútem Dei videt, et glóriam.

4 Memória eius * in benedictiónibus dulcédinis, allelúia.

5 Suscépit eum * Dóminus, et collocávit eum cum princípibus pópuli sui.

Capit. Eccli. 45, 1-2

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum.

Hymnus

Iam fidélis turba fratrum
voce dulci cónsonet,
hymnum dicat, et seréna
partiátur drámata,
dulci Patri, et beáto
Gallo festa fáctitans.

Iamque cælum, iamque terra,
iamque pontus láudibus
plaudat atque circumquáque
vox emíssa plébibus
auctóri, Patríque tanti
tamque clari lúminis.

Hinc exsúltent astra cæli,
lacteúsque círculus;
signa tum bisséna saltent
et coróna nóbilis,
ornatúsque totus, soli
conditóri cógnitus.

Nos istíus semper clara
consecúti múnia,
sanctitáti tantæ cantu
personémus músico;
exaudíre quod deléctet
cuncti plasten sæculi.

Nunc Redémptor et Creátor,
auctor veri gáudii,
largiátur illam nobis
Galli sui grátiam,
ut secúti tantum Patrem
captémus perénnia.

Glória et honor Deo
usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
ínclito Paráclito,
cui laus est, et potéstas
per ætérna sæcula.
Amen.

℣. Diléctus Deo et homínibus. ℟. Cuius memória in benedictióne est.

Ad Magnif. ant. Apériens Ioánnes sarcóphagum, * amarióres cum hac voce lácrimas dedit: Heu, heu, Pater amáte, heu, doctor egrégie, cur me de domo patris edúctum quasi órphanum dereliquísti?

Oratio

Deus, qui gentes nostras per beátum Gallum Abbátem ad agnitiónem veræ fídei perduxísti: concéde nobis in eiúsdem fídei professióne inviolábilem firmitátem;

ut cum ipso prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

Completorium de dominica.

Die 17 octobris

S. MARGARITÆ MARIÆ ALACOQUE

Virginis

III classis

Omnia ut in Breviario hoc die præter sequentia:

In Laudibus fit commemoratio S. Hedwigis Viduæ (ex heri):

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui beátam Hedwígem a sæculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde; ut eius méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Die 22 octobris

In ecclesiis consecratis Diœcesis, excepta cathedrali:

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ PROPRIÆ

I classis

Omnia ut in Communi Dedicationis Ecclesiæ.

Die 3 novembris

SANCTÆ IDÆ

Virginis

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Ida, probabíliter ex loco Tóggii, Kirchberg nuncupáto, post sæculum duodécimum, vitam Deo sacrátam egit iuxta cœnóbium Fischingénse ibíque ex terris ad cæléstia templa in Christo commigrávit die tértia novémbris. Excellébat ita sancte vivéndo, ut étiam post mortem a conventuálibus vicinísque colerétur et vita ipsíus multis legéndis sit adornáta. Cultum eius iam ab immemorabílibus tempóribus exisséntem et præcípue a sancto Petro Canísio promótum Benedíctus déci-

mus tértius Póntifex Máximus approbávit et Offícium et Missam in tota diœcési Constantiénsi celebrári præcépit. Francíscus primus autem, piíssimæ memóriæ abbas, sacéllum sanctæ Idæ vetustáte collábens a fundaméntis érigi ac splendidíssime ornári iussit, in quo adhuc, monastério iniúria supprésso, patrónæ eius sepúlcrum gloriósum vísitur. Te Deum.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio P

Deus, qui beátam Idam sanctárum tuárum Vírginum collégio aggregáre voluísti: tríbue nobis, quæsumus; ut eius précibus et méritis a culpis ómnibus expiémur, et tuæ maiestátis consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

℣. Diffúsa, ut supra.

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Die 5 novembris

SACRARUM RELIQUIARUM

quæ in ecclesiis Diœcesis asservantur

III classis

Quæ de feria non sunt sumenda, dicuntur ut in Communi plurimorum Martyrum, præter sequentia.

AD MATUTINUM

Lectio iii

Sermo sancti Thomæ Aquinátis

Summa Theol., III, q. 25, a. 6

Qui habet afféctum ad áliquem, étiam ea, quæ de ipso post mortem relinquúntur, venerátur, non solum corpus aut partes córporis eius, sed étiam áliqua exterióra, puta vestes et simília. Manifestum est autem quod Sanctos Dei in veneratióne habére debémus, tamquam membra Christi, Dei fílios, et amícos, et nostros interces-

sóres. Et ídeo eórum relíquiæ qualescúmque honóre cóngruo in eórum memóriam venerári debémus; et præcípue eórum córpora, quæ fuérunt templa et órgana Spíritus Sancti in eis habitántis et operántis, et sunt córpori Christi configuránda per gloriósam resurrectiónem. Unde et ipse Deus huiúsmodi relíquias conveniénter honórat, in eárum præséntia mirácula faciéndo.
Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére; multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cuius in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dñm.

AD VESPERAS

℣. Exsultábunt, ut supra.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Die 16 novembris

S. OTMARI ABBATIS

Patroni æque principalis Diœcesis

I classsis

Omnia ut in Communi Conf. non Pont., præter sequentia.

AD I VESPERAS

Ant. 1 Beátus Otmárus * abbas a tyránnis Waríno et Ruthárdo in ínsulam Rheni relegátus, in confessióne Christi migrávit.

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur ps. 116 Laudáte Dóminum.

2 Sepúltus ergo * decem annos ibídem requiévit incorrúptus.

3 Post decem * vero annos visum est discípulis eius, ut ad monastérium sancti Galli eum deférre debérent.

4 Cumque navi * sanctum corpus imposuíssent, tempéstas, quæ toto sævívit lacu, nulli eis fuit impedimento.

5 Beáti ergo * corpus Otmári in ecclésia sancti Galli pósitum multis ínibi miráculis cælitus est glorificátum.

Capit. Sap. 10, 13-14

Sapiéntia vénditum iustum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant, et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum.

Hymnus

Rector ætérni metuénde sæcli,
auctor et summæ bonitátis ipse,
quas tibi laudes férimus canéntes,
áccipe clemens.

Festa, quæ sanctis cólimus trophæis,
nomen Otmári résonant beáti,
cuius optándis méritis Creátor
illa dicásti.

Qui Patrum normas imitándo sacras,
victor in duro válidus duéllo
hostis atrócis rábiem subégit,
víndice Christo.

Príncipum sævas dóluit rapínas,
inde raptórum stúdiis gravátus,
Mártyris palma méruit supérna
scándere regna.

Eius ad sacrum túmulum patéscit,
quanta splendóris téneat perénnis
dona, cum semper cápiant ibídem
lassa vigórem.

Quæsumus, nobis Dominátor orbis
huius obténtu véniam misértus
confer indígnis, tríbuens manéntis
gáudia lucis.

Hoc Pater summus, Patris atque Natus
præstet, et clemens utriúsque Flamen,
Trínitas simplex, et ubíque princeps
omne per ævum.
Amen.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Ad Magnif. ant. Descéndit Dóminus cum sancto Otmáro in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant; et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum.

Oratio

Deus, qui beátum Otmárum Abbátem misericórdia et fortitúdine mirabíliter imbuísti: da nobis, quæsumus, illíus sequi vestígia; ut cum ipso coronári mereámur in cælis. Per Dóminum.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Gallo Patri sanctíssimo
Otmárus abbas iúngitur,
istum locum qui iúgiter
tuéntur, et nos súpplices.

Virtúte semet vívere
demónstrat hic credéntibus:
certum fide quod quærimus
præbet Pater sanctíssimus.

Effúnde voces, plebs Dei,
commíssa defle nóxia,
adstat precátor grátiæ,
reddens æquum, quod súscipit.

Absólve, clementíssime,
nexu ligátos críminis,
delens malum, quod réspuis,
addens bonum, quod réspicis.

Laus sempitérno sit Patri,
nec non perénni Fílio,
Sanctóque sit Spirámini
per sæculórum sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 In lege Dómini fuit volúntas eius, et in lege eius meditábitur die ac nocte.

2 Peccatórum víncula disrúpit, ut iugo Dómini innéxus, ei cum tremóre et reveréntia deservíret.

3 Tu es glória mea, tu es suscéptor meus, Dómine; tu exáltans caput meum, et exaudísti me in monte sancto tuo.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Absol. Exáudi, Dómine.

Bened. Benedictióne perpétua.

De libro Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 10, 9-12

Sapiéntia hos, qui se obsérvant, a dolóribus liberávit. Hæc prófugum iræ fratris iustum dedúxit per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam Sanctórum; honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Intra.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 10, 13-19

Hæc vénditum iustum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum; descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant, et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam. Hæc pópulum iustum, et semen sine queréla liberávit a natiónibus, quæ illum deprimébant. Intrávit in ánimam servi Dei, et stetit contra reges horréndos in porténtis et signis. Et réddidit iustis mercédem labórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili, et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem: tránstulit illos per Mare Rubrum, et transvéxit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demérsit in mare, et ab altitúdine inferórum edúxit illos.

℟. Iustus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

Cap. 10, 19-21; 11, 3-4

Ideo iusti tulérunt spólia impiórum, et decantavérunt, Dómine, nomen

sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt páriter: quóniam sapiéntia apéruit os mutórum, et linguas infántium fecit disértas. Stetérunt contra hostes, et de inimícis se vindicavérunt. Sitiérunt, et invocavérunt te, et data est illis aqua de petra altíssima, et réquies sitis de lápide duro.

℟. Iste cognóvit iustítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. 1 Pro tribulatiónibus Deus eum constítuit in spe múnerum æternórum, et pacem ei tríbuit sempitérnam.

2 Dedúxit eum Dóminus in iustítia sua, pérdidit omnes, qui mendácium loquebántur.

3 Destrúxit Dóminus inimícum et ultórem, et ex ore innocéntis perfécit sibi laudem.

℣. Os iusti meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua eius loquétur iudícium.

In II Nocturno

Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Otmárus abbas, génere Alemannórum ortus, a Victóre cómite Curiénsi ecclésiæ sancti Floríni prælátus, deínde propter probitátem sacerdotálem a Waltrámo tribúno Arbonénsi céllulæ sancti Galli præpósitus, plures ad vitam regulárem fratres attráxit eísque cóngrua habitácula constrúxit, ita ut alter fundátor monastérii appellári merúerit. Virtútum sectátor morúmque laudabílium posséssor étiam in páuperes ádeo erat benígnus, ut nudos própriis véstibus contégeret et leprósis, quibus hospitíolum exstrúxerat, die noctúque suis mánibus ministráret, illámque ánimo revólvens senténtiam: Quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.

℟. Sanctus Dei Conféssor Otmárus: * Toto af-

féctu mentis hausit potum sapiéntiæ salutáris. ℣. Salúti hóminum cælitus destinátus, et exémplo áliis mox futúrus. Toto afféctu mentis hausit potum sapiéntiæ salutáris.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Sed cum Warínus et Ruthárdus, qui tunc témporis vice Pippíni regis curam Alemánniæ administrábant, res ecclesiárum sibi ipsis per vim nefárie vindicárent et immo Sidónium, ecclésiæ Constantiénsis præsulem, instigárent, Otmárus eórum tyránnicam præsumptiónem refutávit et integritátem monastérii iuste ac fórtiter deféndit, ne ingruénte penúria ibi vita cœnobiális defíceret. Illi vero Lantpértum, quendam mónachum indígnum, persuasérunt, ut abbátem públice accusáret de áliquo incontinéntiæ crímine. Otmárus autem, vir castitáte venerábilis, falsitátis accusatóri non áliud nisi hoc respóndit: Fáteor me quidem supra modum in multis peccásse; de hoc autem crímine secréti mei inspectórem Deum ínvoco testem. Otmárum nihilóminus apud villam Pótamum palátio incarceravérunt et miseránda fame cruciavérunt.

℟. Vir Dei Otmárus cellæ beáti Galli præpósitus, * Sollícitus gessit pii mandrítæ stúdium. ℣. Vere fidélis, et prudens servus supra famíliam Dómini constitútus. Sollícitus.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Póstmodum vir nóbilis Gozbértus, dum ab iníquis princípibus Otmárum sibi commendári impetrásset, illum in quandam Rheni ínsulam Werd nominátam deportávit. Ubi sanctus pater oratiónibus et ieiúniis vacans, eo libérius Deo deservívit, quo ab humána frequentatióne et curis sæculáribus fúerat absolútus. Exácto non multi témporis spátio, a mundánis angústiis ad cæléstis latitúdinem gáudii commigrávit die sextodécimo mensis novémbris anni septingentésimi quinquagésimi noni. Cuius corpus decénnio eláp-

so integérrimum repértum fratres per lacum tempestáte commótum, vino in lagéna eis non deficiénte, uti pie tráditur, ad portum felícem navigavérunt et in sancti Galli monastério honorífice sepelivérunt. Miráculis eius ac virtútibus a Salomóne epíscopo públice promulgátis, sacræ relíquiæ sub Grimáldo abbáte in próprium oratórium translátæ sunt, et exínde assíduus ei exhibétur cultus uti Patróno æque principáli Víneæ a sancto Gallo plantátæ.

℟. Beátus Conféssor Christi Otmárus sine causa damnátus, ad palátium Pótami ductus est, ibíque diu labóribus fatigátus * Perféctus invéntus est. ℣. Iussu tyrannórum in cárcerem coniéctus, et fame crudéliter afflíctus Perféctus. Glória Patri. Perféctus.

In III Nocturno

Ant. 1 Ingréssus sine mácula, et iustítiam operátus, requiéscit in monte sancto Dei.

2 In Deo confísus, longitúdinem vitæ perpétuæ consecútus est.

3 Hæc est generátio quæréntium Deum, quæréntium fáciem Dei Iacob.

℣. Lex Dei eius in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus eius.

Absol. A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce, nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

De Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Decl. de Evang. huius verbis

Amen, dico vobis. Verbum confirmatiónis præmíttitur: magnum nóveris esse quod séquitur. In regeneratióne sedébitis et vos; consequémini, ait, quem sequímini, ut, cum ipse séderit, et vos páriter sedeátis. O séssio! quis mihi tríbuat, ut dignis éxprimam verbis, quod de sessióne hac cordis affectióne concípio? immo quis tríbuat mihi sessiónis huius imperturbáta frui réquie, quam desídero, quam cúpio, quam requíro?

℟. Pretiosíssimi córporis almi Patris thesáuro in ecclésia sancti Galli recóndito, eius sanctíssima mérita claruérunt: * Per multa mirácula. ℣. Cumque tantæ cláritas lucérnæ in domo Dómini lucéret, longe latéque innótuit. Per.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Ecce enim, dixi: nihil in me sedet, cuncta in motu sunt, ómnia nutant, flúctuant univérsa. Postrémo ubi concupíscit adhuc caro advérsus spíritum, spíritus advérsus carnem, quidnam hóminis sedére vidétur? In sédibus quies imperturbáta est, in iudício dignitátis eminéntia commendátur. Quis vero sæculáris honor excogitári potest, qui non prorsus in tantæ sublimitátis comparatióne viléscat? Non uníus síquidem civitátis, aut pópuli, seu regiónis uníus, sed universitátis iúdices habent præsidére cum Christo. Nec solum hómines, sed et ipsos Angelos iudicábunt, qui paréntem ad módicum fervórem præséntis glóriæ dedignántes et exsufflántes, impropérium Christi univérsis præferunt títulis dignitátum.

℟. Inclite Conféssor, fratrúmque fidélis amátor, instánter précibus nostros releváto reátus: * Namque tuis méritis sperámus dona salútis. ℣. Virtútum rádiis, qui clarus in orbe nitéscis, ora pro fámulis, o Pater alme, tuis. Namque. Glória Patri. Namque.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Illud ego veheméntius árbitror admirándum, quod fidéles magis in máximo, quam in módico videámini: non enim difficile est ei, dare céntuplum in præsénti, qui datúrus est vitam ætérnam in futúro. Sed quómodo, inquis, possunt hæc fieri? qua ratióne éxcipit céntuplum, qui nihil sibi relínquit ex ómnibus? Mira nóvitas, sed eius, qui nova facit ómnia. Iugum tollens, ínvenit réquiem; relínquens ómnia céntuplum habet. Nóverat hoc et ille, qui loquebátur in Psalmo: Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis,

qui fingis labórem in præcépto? An non fictus in præcépto labor onus leve, suáve iugum, crux inúncta?

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
et per Horas

Ant. 1 Beátus Otmárus * abbas a tyránnis Waríno et Ruthárdo in ínsulam Rheni relegátus, in confessióne Christi migrávit.

Psalmi de dominica.

2 Sepúltus ergo * decem annos ibídem requiévit incorrúptus.

3 Post decem * vero annos visum est discípulis eius, ut ad monastérium sancti Galli eum deférre debérent.

4 Cumque navi * sanctum corpus imposuíssent, tempéstas, quæ toto sævívit lacu, nulli eis fuit impedimento.

5 Beáti ergo * corpus Otmári in ecclésia sancti Galli pósitum multis ínibi miráculis cælitus est glorificátum.

Capit. Sap. 10, 13-14

Sapiéntia vénditum iustum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant, et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum.

Hymnus

Quid de tuis præcóniis,
Otmáre, dignum prómimus?
Laus nostra iusto vílior,
quantum potest, sic ínsonat.

Te lílio virgínitas,
te púrpura martýrium,
te vestit innocéntia
agni novélli véllere.

Virtútis almæ cópia
coniúncta plene cérnitur,
contagiónis néscia
mens tota spectat sídera.

Tuéndo ius Ecclésiæ
raptátus es ad cárceres,
famem sitímque passus es,
exsul fuísti mórtuus.

Hinc ergo sanctum gémina
coróna cingit vérticem,
confessiónis cándida,
et passiónis rúbea.

Sed iam meménto pópuli
tui, Pater sanctíssime,

charísma nobis grátiæ ut ímpetres divínitus.

Præsta, Pater piíssime, præsta, Fili dulcíssime, præsta, perénnis Spíritus, Otmárus ut te póstulat.

Amen.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Ad Bened. ant. Beátus Otmárus, athléta Dei eléctus, bonum certámen certávit, cursum consummávit, quaprópter in vínculis non derelíquit eum Dóminus, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant.

Oratio

Deus, qui beátum Otmárum Abbátem misericórdia et fortitúdine mirabíliter imbuísti: da nobis, quæsumus, illíus sequi vestígia; ut cum ipso coronári mereámur in cælis. Per Dóminum.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Beátus Otmárus * abbas a tyránnis Waríno et Ruthárdo in ínsulam Rheni relegátus, in confessióne Christi migrávit.

AD TERTIAM

Ant. Sepúltus ergo * decem annos ibídem requiévit incorrúptus.

Capit. Sap. 10, 13-14

Sapiéntia vénditum iustum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant, et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum.

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et. Glória Patri. Amávit.

℣. Os iusti meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua eius loquétur iudícium.

AD SEXTAM

Ant. Post decem * vero annos visum est discípulis eius, ut ad monastérium sancti Galli eum deférre debérent.

Capit. Sap. 10, 10-11

Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit il-

lum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum.

℟. br. Os iusti * Meditábitur sapiéntiam. Os. ℣. Et lingua eius loquétur iudícium. Meditábitur. Glória Patri. Os.

℣. Lex Dei eius in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus eius.

AD NONAM

Ant. Beáti ergo * corpus Otmári in ecclésia sancti Galli pósitum multis ínibi miráculis cælitus est glorificátum.

Capit. Sap. 10, 12

Custodívit illum ab inimícis et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia.

℟. br. Lex Dei eius * In corde ipsíus. Lex. ℣. Et non supplantabúntur gressus eius. In. Glória Patri. Lex.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD II VESPERAS

Ant. 1 Beátus Otmárus * abbas a tyránnis Waríno et Ruthárdo in ínsulam Rheni relegátus, in confessióne Christi migrávit.

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur ps. 116 Laudáte Dóminum.

2 Sepúltus ergo * decem annos ibídem requiévit incorrúptus.

3 Post decem * vero annos visum est discípulis eius, ut ad monastérium sancti Galli eum deférre debérent.

4 Cumque navi * sanctum corpus imposuíssent, tempéstas, quæ toto sævívit lacu, nulli eis fuit impediménto.

5 Beáti ergo * corpus Otmári in ecclésia sancti Galli pósitum multis ínibi miráculis cælitus est glorificátum.

Capit. Sapiéntia, ut supra ad Tertiam 56*.

Hymnus

Rector ætérni metuénde sæcli,
auctor et summæ bonitátis ipse,
quas tibi laudes férimus canéntes,
áccipe clemens.

Festa, quæ sanctis cólimus tropháeis,
nomen Otmári résonant beáti,
cuius optándis méritis Creátor
illa dicásti.

Qui Patrum normas imitándo sacras,
victor in duro válidus duéllo
hostis atrócis rábiem subégit,
víndice Christo.

Príncipum sævas dóluit rapínas,
inde raptórum stúdiis gravátus,
Mártyris palma méruit supérna
scándere regna.

Eius ad sacrum túmulum patéscit,
quanta splendóris téneat perénnis
dona, cum semper cápiant ibídem
lassa vigórem.

Quæsumus, nobis domínátor orbis
huius obténtu véniam misértus
confer indígnis, tríbuens manéntis
gáudia lucis.

Hoc Pater summus, Patris atque Natus,
præstet, et clemens utriúsque Flamen,
Trínitas simplex, et ubíque princeps
omne per ævum.
Amen.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Ad Magnif. ant. Descéndit Dóminus cum sancto Otmáro in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant, et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum.

Oratio

Deus, qui beátum Otmárum Abbátem misericórdia et fortitúdine mirabíliter imbuísti: da nobis, quæsumus, illíus sequi vestígia; ut cum ipso coronári mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus.

Completorium de dominica.

Die 17 novembris

S. GREGORII THAUMATURGI

Episcopi et Confessoris

III classis

Omnia ut in Breviario hoc die.

In Laudibus fit commemoratio S. Gertrudis Virginis (ex heri):

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui in corde beátæ Gertrúdis Vírginis iucúndam tibi mansiónem præparásti: ipsíus méritis et intercessióne; cordis nostri máculas cleménter abstérge, et eiúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

Die 23 novembris

S. COLUMBANI

Abbatis

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Columbánus, in Hibérnia natus, licéntia pro Christo peregrinándi accépta, monastérium Bangor relíquit, et cum duódecim discípulis in Gálliam profectus est. Ibi in erémo montis Vósegi tria monastéria fundávit, quibus et ipse præfuit, et quorum principále Luxóvium nómine, seminárium permultórum virórum sanctórum evásit. Régulam aliáque plura ad ædificatiónem subditórum suórum et ad explicándam Sacram Scriptúram scripsit. Iusto iure fautor pæniténtiæ privátæ in Ecclésia Continéntis cathólica celebrátur. Quia Theuderícum, regem Burgúndiæ, de concubinátu reprehéndere non déstitit, Brunichílde ávia eius instigánte, exsuláre cógitur. Cum mónachis hibérnicis expúlsis Tuccóniam et Arbónam venit. Deínde Brigántii cœnóbium instítuit, sed Theudebérto, rege Austrásiæ, a Theuderíco devícto, in Itáliam secéssit, sancto Gallo, cómite itínerum, in Alemánnia relícto. Tandem

in Apenníno Agilúlfi, regis Langobardórum ope, monastérium Bobiénse constrúxit, ubi labóribus iam et sénio confléctus, nono kaléndas decémbris anno sexcentésimo décimo quinto efflávit ánimam, quam sanctus Gallus ad paradísi gáudia vidit migrántem.
Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Sanctus Columbánus evangélicam perfectiónem ássequi cúpiens, in exsílium cum frátribus profléctus est.

Oratio P

Concéde nobis, Dómine, alácribus ánimis sancti Columbáni Confessóris tui sollémnia celebráre: cuius divérsis decoráta virtútibus tibi vita complácuit. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Et fit com. S. Felicitatis:

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, beátæ Felicitátis Mártyris tuæ sollémnia recenséntes, méritis ipsíus protegámur et précibus. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Sanctus Columbánus * causa peregrinándi Hibérniam egrédiens, inter álios sui labóris duódecim fratres cómitem hábuit sanctum Gallum.

Die 26 novembris
S. CONRADI
Episcopi et Conf.
III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Conrádus, nóbili Guelfórum stirpe exórtus, septénnis a paréntibus ad Sancti Galli monastérium missus et Salomóni

abbáti commendátus est, qui eum Notíngo, probátæ sanctitátis mónacho, erudiéndum commísit. Stúdiis Constántiæ absolútis et presbyterátu suscépto, Notíngo, olim magístro suo, in sede episcopáli succédens, diœcési Constantiénsi plus quátuor decénnia præfuit. Cuncta quæ áliis prædicábat, ópere ipse prius exercébat. Díligens decórem domus Dómini et locum habitatiónis glóriæ eius, ecclésiis aut vetéribus renovándis aut novis construéndis insudávit. Duódecim páuperes, extrúcto xenodochío, perpétuo aléndos dispósuit. Tribulátis adiútor opportúnus, mæréntium consolátor benigníssimus, pater erat páuperum. Quanta erat Conrádi in fratres Sangallénses cáritas, ex eo cólligi potest, quod monastérium eórum sæpíssime vísitans, mónachis suis mánibus inserviébat et in ómnibus penúriis eos sublevábat. Sanctum Udalrícum, epíscopum Augustánum, sibi amicíssimum secútus in cælum sexto kaléndas decémbris anno nongentésimo septuagésimo quinto, in Concílio Lateranénsi primo Sanctórum número adscríptus est. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio P

Propitiáre, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Conrádi Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa: ut eius pia intercessióne, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Et fit commemoratio S. Silvestri Abbatis:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sæculi huius vanitátem in apérto túmulo pie meditántem, ad erémum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es: te súpplices exorámus; ut, eius exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætérno. (Per Dóminum.)

Deinde fit commemoratio S. Petri Alexandrini, Ep. et Mart.:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Petri Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio

Propitiáre, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Conrádi Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa: ut eius pia intercessióne, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Die 27 novembris
S. CLEMENTIS I
Papæ et Martyris
III classis

Omnia ut in Breviario die 23 novembris, sine commemoratione S. Felicitatis Martyris.

„Media vita“

Antiphona B. Notkero attributa

Média vita in morte sumus. Quem quærimus adiutórem, nisi te, Dómine, qui pro peccátis nostris iuste irásceris?

℣. In te speravérunt patres nostri; speravérunt, et liberásti eos. ℟. Sancte Deus.

℣. Ad te clamavérunt patres nostri; clamavérunt, et non sunt confúsi.

℟. Sancte fortis.

℣. Ne despícias nos in témpore senectútis; cum defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos. ℟. Sancte et misércors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.

Orémus

Oratio

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere: súscipe deprecatiónem nostram, ut nos et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Christum, Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Alia Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis: ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem. Per Christum, Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Alia Oratio

Ineffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde: ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, erípias. Per Christum, Dóminum nostrum.

Alia Oratio

Deus, qui culpa offénderis, pæniténtia placáris: preces pópuli tui supplicántis propítius réspice, et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum, Dóminum nostrum. ℟. Amen.